

Johann Franz Buddeus


Commentatio Historico-Theologica De Conciliis Lateranensibus Rei Christianae Noxiis

lenae: Fickelscherrianis, [1725]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825537231>

Druck Freier  Zugang





Pr. 96p 51 b. C.

52 -
Pr. 94 - -
68 -

Pr. 69 -
52 -

48 -

32 -

32 -

31 -

32 -


32 -

Pr. 201p (und)

20 -

12 -

J.g. - 11.35.1 - 16.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a title or header, possibly containing the name of an institution or a specific document title.

COMMENTATIO HISTORICO-THEOLOGICA
DE
CONCILIIS LATERANENSIBVS
REI CHRISTIANAE NOXIIS,
QVA
RECITATIONES SOLLEMNES
ET
DISPUTATIONEM PVBLICAM
VIRI
MAXIME REVERENDI ET EXCELLENTISSIMI
IO. GEORGII WALCHII
IN HAC ACADEMIA ELOQVENTIAE ET POESEOS
PROFESSORIS PVBLICI ORDINARIJ AC THEO-
LOGIAE EXTRAORDINARIJ
RITE INDICIT

IO. FRANCISCVS BVDDEVS
S. THEOL. DOCTOR ET P. P. O. ORDINISQVE
THEOLOGICI DECANVS.

IENAE, LITTERIS FICKELSCHERRIANIS


COMMENTATIO HISTORICO-THEOLOGICA
DE
CONCILII LATERANENSIS
REI CHRISTIANAE NOXIS

RECITATIONES SOLEMNES
ET
DISPUTATIONEM PUBLICAM

VIRI
MAXIME REVERENDI ET EXCELLENTISSIMI
IO. GEORGII WALCHII
IN HAC ACADEMIA PLOOVENTIAE ET PUSSEOS
PROFESSORIS PUBLICI ORDINARI AC THEO-
LOGIAE EXTRAORDINARI
AURE INDICIT

IO. FRANCISCUS BADEVS
S. THEOL. DOCTOR ET R. N. O. ORDINARIVS
THEOLOGICI DECANVS

LENAE, LITNERII PICTORIS-GRABARIIS



OMnium sermonibus hodie celebratur concilium lateranense, quod BENEDICTVS XIII, qui romanae sedi praeest, congregavit. Eo id inter alia comparatum esse, vt vitia quaedam, sacri praesertim ordinis virorum, corrigantur, ex iis, quae de isto nobis innotuerunt, colligere licet. Quod pontificis institutum, vt & alia quaedam praeclare ab eo suscepta, vt nemo vituperauerit; ita an id, quod sibi proposuit, sit consequuturus, experientia, certissima eiusmodi rerum magistra, omnium rectissime nos condocet. Ex historiarum monumentis constat, quosdam pontifices iam olim de emendandis ecclesiae suae naevis fuisse sollicitos; quos inter vnicus HADRIANVS VI serio id egisse videtur. Quemadmodum autem omnis iste vanus irritusque fuit conatus; ita non est, quod feliciores successus sibi polliceantur, quamdiu eam, quam sacrae litterae monstrant, corruptam prorsusque deprauatam ecclesiae faciem immutandi, melioremque reddendi, viam ingredi nolunt. Hoc vero eiusmodi esse, vt sperare non liceat, nemo non intelligit. Cum autem concilium hocce lateranense reliqua, eodem in loco celebrata, quorum etiam pleraque non tantum nullum commodum, sed maximum contra rei christianae attulerunt damnum,

nobis in memoriam reuocet; de iis nonnulla, praesertim quae prae reliquis obseruatu digna sunt, commemorare, nec ab instituto nostro, nec ab hocce tempore alienum esse arbitror.

Atque initio quidem hoc neminem ignorare fas est, cum plurima sint concilia romana, non tamen omnia esse lateranensia. Romana enim a nonnullis centum quadraginta duo numerantur, cum lateranensium tantum sint duodecim. De vtrisque porro obseruare iuuabit, non alio quam particularium loco ea haberi posse; etsi non desint ex romanae ecclesiae addictis, qui lateranensia quaedam pro vniuersalibus seu oecumenicis venditent, quos tamen ratione destitui, palam est. Praeterquam enim, quod vetus ecclesia romanis episcopis facultatem, oecumenica concilia conuocandi, nunquam concesserit, nec exemplo vlllo, quod ea vsi sint, probari queat; * in romanis synodis, adeoque & lateranensibus, non aliter, quam episcopi vrbs romanae, spectari poterant, quorum potestas synodos congregandi, dioeceseos istius vrbicariae limitibus circumscribebatur. Quodsi etiam vi canonis sexti concilii Nicaeni ** iura patriar-

* Ex instituto hoc demonstrauit EDMUNDVS RICHERIVS in *historia conciliorum generalium*: conferenda cum primis quae *lib. I. cap. II.* de synodo Nicaena a Constantino magno indicta disserit.

** Mirum in modum de sensu huius canonis inter se digladiantur viri docti. Cum enim in eo comparatio quaedam inter romanum & Alexandrinum, aliosque episcopos instituatur, primum quaeritur: num hoc de iure metropolitico, an vero patriarchali intelligendum sit? Prius rō. LAVNOIVS adse-

ruit, in *dissertat. de relecta Nicaeni canonis VI. & prout a Ruffino explicatur, intelligentia*, Parisius anno MDCLXII. cui cum se opposuisset HENRICVS VALESIVS, pro iuribus patriarchalibus pugnans, *lib. III. obseruation. ecclesiast. in Sozom. & Sozom. pag. 288. seqq.* LAVNOIVS suam iterum sententiam defendit, in *dissertationis de relecta Nicaeni canonis VI. intelligentia propugnatione*, Parisius MDCLXXI euulgata. VALESIO tamen, de iuribus patriarchalibus canonem huncce intelligenti, plerique suffragantur, vt EMAN. A SCHEL-

triarchalia illis denegare nolumus; tantum tamen abest, ut exinde potestas oecumenica concilia congregandi colligi queat, ut eidem vel maxime obstent; siquidem ceteroquin omnibus

A 3

STRATEN *dissertat. II. de iure patriarchatus romani, in antiquit. illustrat. p. 57. seqq.* itemque in *dissertat. de auctoritate patriarchali & metropolit. contra Eduard. Stillingfleet,* quae Romae anno MDCLXXXVII lucem vidit; NATALIS ALEXANDER in *hist. ecclesiast. saec. IV. dissertat. de sensu sexti canonis Nicaeni, tom. IV. p. 274. seqq.* PETRVS DE MARCA *de concordia sacerdot. & imper. lib. I. cap. III. §. VI. seqq. p. 16. seqq.* LVD. ELL. DV PIN *de antiqua ecclesiae disciplina dissertat. II. p. 83. seqq.* qui tamen de iure exarchatus, quod olim patriarchicum dicebatur, non autem de iure patriarchico, prout hodie vox ista usurpatur, canonem hunc accipiendum, contendit. At LAVNØII iterum sententiam, de iuribus metropolitici hic agi, contra VALESIVM propugnamdam suscepit GVIL. BEVEREGIVS in *adnotationibus ad can. VI. concil. Nic. p. 55. seqq.* Non minus & de ecclesiis suburbicariis, quarum in Ruffini versione latina huius canonis fit mentio, & quousque, praesertim romano episcopo obnoxiae, sint extendendae variis scriptis inter CLAVDIVM SALMASIVM atque IACOBVM SIRMONDVM disputatum fuit. Sed id cumprimis adhuc obser-

uandum, licet romanus episcopus cum reliquis patriarchis verbis disertissimis in eundem in hocce canone referatur ordinem, aequaliaque omnibus tribuantur iura; plurimos tamen romanensium, primatui pontificis adeo hoc non ob stare, sibi persuasisse, ut insigne aliquod eius praesidium in illo inuenisse, sibi videantur. Ita quidem SEVERINVS BINIVS, FRANCISCVS TVRRIANVS, CAESAR BARONIVS, ROB. BELLARMINVS, DIONYSIVS PETAVIVS, IAC. SIRMONDVS, PETRVS DE MARCA, IO. CABASSVTIVS, NATALIS ALEXANDER, aliique quamplurimi, quos rursus rectiora edocuerunt GVIL. WHITAKERVS, PHILIPPVS MORNAEVVS, ANDREAS RIVETVS, DANIEL CHAMIERVS, DAVID BLONDELIVS, CLAVDIVS SALMASIVS, aliique. LEONEM ALLATIVM contendentem, in hocce canone non agi de potestate summa pontificis in omnes ecclesias, quippe quam habeat a Christo, quae sit *de fide*, sed de patriarchali, quae sit *antiqui moris; de ecclesiae occidentalis & orientalis perpetua consensione lib. I. cap. XII. p. 289. seqq.* ex instituto refutavit FRID. SPANHEMIVS, in *dissertat. de sensu canonis sexti con-*

bus patriarchis eadem tribuenda esset facultas. Sed ne per totum quidem occidentem, cuius tamen se ferebant patriarchas, episcopi romani, ista concilia conuocandi gaudebant potestate; siquidem occidentis ecclesiae per plures directae erant dioeceses, quae suis quaeque synodis constabant, uti de africana, illyriciana, gallicana, hispanica notum est. Immo ante annum Christi cclxxii Italiae episcopos seorsim a romanis conuenisse, viris doctis obseruatum est; uti factum, cum Novatianus anno cclv a synodis romana, italica & africana damnaretur. Ut vero deinceps synodus romana Italiae finibus circumscriberetur, id vir summus PETRVS DE MARCA a) inde repeti posse existimat, quod ad profligandam Pauli Samosatani haeresin ab Aureliano imperatore constitutum fuerit, ut Italiae episcopi Romam de hac quaestione tractaturi se conferrent. Etsi enim vocandorum episcoporum ius romanae sedi concedat; neminem tamen infitias iturum putat, sub paganorum principum imperio coetum frequentem Romae vix haberi potuisse, nisi cogendi concilii gratiam facerent imperatores; quod cum ab Aureliano impetratum fuisset, ex eo tempore cum romana coniunctam fuisse synodum italicam. Auctor sane est EVSEBIUS, cum Paulus Samosatenus, Antiochiae episcopus, duplici synodo Antiochena damnatus, domo episcopali abscedere nollet, Aurelianum interpellatum hac de re, praecepisse, ut domus ecclesiae illi tribueretur *οἰς ἀν' οἰ κατὰ τὴν ἰταλίαν*

cilii Nicaeni I. deque iuribus veterum metropoleon & romani patriarchatus, quae tomo II. operum eius lib. IV. exstat, p. 439. seqq. Ex nostratibus denique beatus CHRISTIANVS KORTHOLTVS canonem huncce monarchiam papalem prorsus euertere, solide demonstrat, in exercitat. in cano-

nem VI. Nicaenum, Baronio & Bellarmino opposita, quae disquisitionibus eius anti-Baronianis adiecta est, p. 350. seqq. Patriarchalia autem iura si vel maxime pontifici in hocce canone tribuantur, nihil tamen inde, quod nostrae causae, praefertim de qua hic agimus, noceat, consequitur.

a) de concordia sacerdot. & imper. lib. I. cap. VI. §. IV. p. 34.

καὶ ῥωμαίων πόλιν ἐπίσκοποι τῆ δόγματος ἐπισέλλοιεν, quibus italicī christianae religionis antistites & romanus episcopus per litteras tribuendam praescriberent. b) Quaecumque vero tandem ob causam factum sit, ut italica synodus cum romana coniungeretur: nobis quidem sufficit, olim distinctam fuisse utramque, potestatemque adeo romanorum praesulum synodos conuocandi dioeceseos vrbicariae finibus fuisse circumscriptam. Latius enim eam patuisse, & impeditam solum fuisse, quod sub ethnicis imperatoribus maior episcoporum numerus conuenire non potuerit, id vero luculentioribus adhuc probandum erat rationibus.

In reliquis occidentis ecclesiis potestatem synodos conuocandi, supremamque in iis sibi afferendi auctoritatem, consilium romanis non aequē ex voto processit episcopis. Omnem equidem, ut hoc obtineret, lapidem mouit NICOLAUS I pontifex, qui saeculo nono non vnum ambitionis suae edidit specimen. * Prudenter is, iudice viro illustri eruditissimoque, quem iam laudauimus, PETRO DE MARCA, c) conatus est efficere, ut episcopi Galliarum ad concilium romanum conuenirent, ut ea ratione eandem in Gallia

* Pontificem huncce REGINO abbas Pramiensis ita laudat: post beatum Gregorium vsque in praesens, nullus praesul in romana vrbe pontificali honore sublimatus, illi videtur aequiparandus. Regibus ac tyrannis imperauit, eisque ac si dominus orbis terrarum, auctoritate praesuit. Episcopis & sacerdotibus religiosus ac domini mandata obseruantibus humilis, blandus, pius, mansuetus adparuit: irreligiosis & a recto tramite exorbitan-

tibus terribilis atque austeritate plenus existit &c. chronic. lib. II. in scriptoribus rerum german. 10. HISTORII tom. I. p. m. 49. Hocce elogium, quo pontificem istum REGINO ornauit, litteris aureis exarandum putat FRANCISCUS PAGO in breuiar. gestor. pontif. rom. tom. II. saec. IX. p. 106. Alili forte existimauerint, si priora verba spectes, ambitionem & tyrannidem Nicolai luculentius describi non potuisse.

b) hist. eccles. lib. VII. cap. XXX. p. m. 282.

c) de concord. sac. & imp. lib. VI. cap. XIV. §. X. p. 868.

& in vniuerso occidente patriarchalis iurisdictionis amplitudinem constitueret, quam patriarchae orientis possidebant in suis quisque dioecesi. Quod prudentiam hic vocat archiepiscopus iste, id alibi astutiam & calliditatem aperte & cordate adpellauit. Caput enim, ex quo haecce deprompta sunt, inscribitur: *de suprema synodorum prouincialium decidendi potestate, & quatenus postea infracta astutia pontificum fuerit; & in synopsi: Nicolai primi plenum calliditate consilium, episcopos gallicos ad concilium romanum inuitantis.* Non minori autem siue prudentia, siue calliditate, Galliae episcopi hocce Nicolai consilium eluserunt. Namque ipsimet non responderunt, sed curarunt, vt reges, (Ludouicus Germaniae, & Carolus caluus Galliae) ad pontificem scriberent, episcopos ob breuitatem temporis & pericula itinerum, aliaque negotia, ad concilium accedere non potuisse; nec vllam esse necessitatem, cur concilio romano interesse debeant, nisi forte oecumenicum aliquod sit celebrandum. Bilem autem ea res licet Nicolao commoueret; cum tamen nihil efficere posset, aliud quid non supererat, quam vt ad alias artes suas cogitationes conuerteret. Nec quae postea a pontificibus, ad potestatis suae limites proferendos gesta sint, exponere aut enarrare huius loci est; quod & eo minus necessarium puto, quo apertius omnibus constat, nec hodie pontifices alios, quam qui immediate illorum potestati subfunt, episcopos ad concilium conuocare. Quare &, licet ei, qui hodie rerum summam tenet, BENEDICTO XIII non ingratum forte fuisset, si Germaniae aut Galliae, aut aliorum regnorum episcopi (nescio an eodem consilio, quo NICOLAUS I Galliae antistites inuitauit) ad concilium hocce lateranense venissent; id tamen a quoquam, nisi ab iis, a quibus hoc exigere poterat, factum non nouimus; omnium minime a Gallis, qui in iuribus ac libertate ecclesiae suae contra omnes romanorum praesulum ausus defendendis, longe diligentissimi sunt vigilantissimique.

Ad lateranensia speciatim quod attinet concilia, ea a lateranensi palatio, quod Romae est, eique adiectis aedibus sacris

facris nomen trahere, non temere quemque fugit. in Palatium autem hocce, quod in regione vrbis secunda, seu Coelio monte, a viris harum rerum peritis locatur, a gente Plautia, cui, vti & Sextiliae, atque Claudiae *lateranorum* cognomen familiare fuit, ita dictum, Antoninis imperatoribus, domicilium praebuit, imperialeque inde consequutum est decus. * Eminuit maxime sub Constantino magno *palatium lateranense*, habitabatque in eo Fausta Constantini coniux, filia Maximiani. OPTATO itaque Mileuitano *domus Faustae in laterano* vocatur, in qua, vt ex eodem auctore discimus, Caeciliani & Donatistarum causam iussu Constantini imperatoris cognouit Miltiades, damnatoque Donato Caecilianum innocentem pronuntiauit anno Christi cccxiii. ** Constantinus porro imperator palatio huic *κωνσταντινικὴν, dominicam, basilicam* seu templum adiunxit, *** rogatu, vti ferunt,

B

Syl-

* Copiosius haec edisserit THOMAS REINESIVS, quem inter ornamenta sua haud vulgaria olim retulit Germania, qui vt veram nominis originem hae ratione exposuit, ita quae medii aevi scriptores quidam de ea ineptissime commenti sunt, hunc in modum explodit: *oppido quam futile est, & ex antiquiorum deliroque fabularum studio, quod saeculo barbaro omnisque elegantiae rudi, veritatem historicam plerumque interpolauit, natum, lateranum inde dictum esse, quod Nero dedecorose potionibus vsus maleficis, illic (vt fertur) latens venas euomuerit, quod ita persuasum fuit ante hos quingentos annos Ruperto, abbati Tuitiensi iuxta Coloniam Agrippinensem, vt ex eius libro IX. de diuinis officis*

cap. XVI. constare potest; cui vt promptum est errorum contagium, eadem tibia succinuerit & alii tenebrarum ac barbariei magistri, indicante Dominico Tuscho, cardinali romano &c. in commentatione puerigica de palatio lateranensi eiusque comitiua, pag. 19.

** De schismate Donatistarum lib. I. cap. XXIII. p. 23. editionis, quae studio & opera LVD. ELL. DV PIN anno M DCC II. fol. prodit.

*** Mentionem basilicae huius Constantinianae facit, & dona amplissima ab imperatore in istam collata describit ANASTASIVS bibliothecarius, de vitis romanorum pontificum cap. XXXVI. p. 38. editionis, quae Romae anno M DCC XVIII. auspiciis Clementis XI pontificis prodit.

Syluestri pontificis; quod hodie S. IOANNIS IN LATERANO nomine venit, olim SALVATORIS itemque CONSTANTINIANVM adpellitabatur. Inter splendida ista atque magnifica dona, quae eiusdem imperatoris Constantini munificentia romanis episcopis obtigerunt, etiam aedes commemorantur lateranenses, * in quibus ideo inde a Miltiade, vti CAE-

* Ita enim in donatione ista Constantini diferte legitur: beato Syluestro patri nostro, summo pontifici, & vniuersali urbis Romae papae, & omnibus eius successoribus pontificibus, qui vsque in finem mundi in sede beati Petri erunt seduri, de praesenti contradimus palatium imperii nostri lateranense, deinde diadema &c. Exstat autem haec Constantini donatio tum alibi, tum & in iure canon. part. I. decreti dist. XCVI. c. Constantinus. THEODORI BALSAMONIS versio graeca legitur in scholiis ad PHOTII nomocan. tit. VIII. in GVIL. VOELLI & HENRICI IVSTELLI biblioth. iuris canon. vet. tom. II. pag. 929. Prolixior est, quam & graeco sermone in latinum se transtulisse adserit BARTHOLOMAEVS RICERNVS DE MONTE ARDVO (quem alii PINCERNVM vocant, vnde nonnullis mendacii pincerna arduus audit) quamue IOACHIMVS HILDEBRANDVS dissertationi suae de donatione Constantini imperatoris, praemisit. Alia exstat adhuc versio graeca, quae CONSTANTINO HARMENOPVLO tribuitur, quamue praeter alios exhibet vir eruditissi-

mus IOAN. ALB. FABRICIVS biblioth. graec. volum. VI. siue lib. V. cap. III. p. 5. 6. Ab impostore autem quodam hancce donationem Constantini confictam fuisse, primus omnium demonstrauit LAURENTIVS VALLA, quod deinceps nonnulli ex ipsis romanae ecclesiae addictis agnouerunt, quorum testimonia adducit MATTHIAS FLACIVS illyricus, in catalogo testium veritatis p. 7. editionis, quam IOAN. CVNRADVS DIETERICVS dedit Francofurti anno MDC LXXII. in cuius auctario istius catalogi p. 7. alia adhuc adduntur. Pari ratione & ROBERTVS COCVS romanensium, donationem hancce ceu spuriam reiicientem, testimonia collegit, qui & summatim rationes, quibus hoc probari queat, adfert in censura quorundam scriptorum veterum p. 171. seqq. Nec dubitant hac de re recentiores, qui eruditione reliquis praestant, vt NATALIS ALEXANDER in hist. ecclesiast. noui testam. saec. IV. disert. XXV. p. 309. seqq. SEB. NANVS TILLEMONTIVS in hist. imperat. tom. IV. p. 226. ANTONIVS PAGO in critica historico-

SARI BARONIO placet, d) vel vt aliis videtur, a Syluestro, antistites illi romani rerum suarum esse voluerunt sedem, vsque ad Stephanum II, sub cuius regimine anno DCCCXCII corruerunt, ac desolatae sunt, excepto sanctuario. Hoc cum & THOMAS REINESIVS obseruasset, addit: & hinc pontifices romani, cum nondum sibi conscii essent omnipotentiae ac maiestatis suae, titulo lateranensis episcopi contenti erant, angusti raris tum coloni. e) Restauratae vero deinceps aedes lateranenses subinde in saeculi vndecimi, duodecimi ac sequentium monumentis celebrantur, donec sub CLEMENTE V anno MCCCVIII fortuito incendio consumerentur; eodem pontifice, qui Auinione commorabatur, magnam pecuniae vim, vt refici possent, suppeditante. Per haecce tamen aedium lateranensium fata contigit, vt pontifices in Vaticanum, tandemque castrum sancti angeli a Bonifacio IX anno MCCC renouatum & communicum se conferrent; Sixto tandem v iterum, saeculo decimo sexto aedes haec e fundamentis instaurante. **Quod in hoc op.*
Inter concilia itaque lateranensia, seu in templo, palatio lateranensi adiecto, celebrata primum est; quod Martinus I pontifex an. DCXLIX conuocauit, & in quo centum & quinque adfuisse episcopi perhibentur. Damnata in eo fuit monothelitarum

chronologica in annales Baronii ad an. CCCXXIV. num. XVI. & alii quamplurimi, quos longo agmine producere possem, si hoc nunc agerem. Nostratum, & reformatae ecclesiae doctorum, hancce donationem seu commentitiam exploitentium, testimonia vt adiungerem, superuacaneum foret.

* Ornamenta & monumenta, quae in templo hocce lateranensi celeberrimo. hodie conspici-

d) ad annum CCCXIII. num VI.

e) loco antea citato p. 21.

untur, praeter alios descripserunt ALEXANDER BALDESCHIVS, & IOANNES MARIA CRESCIMBENIVS, quorum commentationes iunctim editae sunt in libro: *stato della chiesa papale lateranense nell' anno 1723.* inscripto, editoque Romae anno MDCCXXIII. vid. *acta eruditor. Lips.* anno MDCCXXV. *mensis mart. p. 129. seqq.*

tarum haeresis, quam edicto seu typo hanc in rem edito, Constans imperator in oriente nuper confirmauerat, ducesque ac promotores haereseos, Cyrus, Sergius, Pyrrhus anathematis fulmine percussi. Tantam concilii huius olim fuisse auctoritatem, vt post quinque synodos generales in professionibus fidei a romanis pontificibus fieri solitis, memoraretur, post CAESAREM BARONIVM f) adferit FRANCISCVS PAGI g). Et sane, vnicum hoc ex omnibus conciliis lateranensibus fuisse videtur, in quo nihil, quod reprehensionem mereatur, occurrit. Reliqua enim, quae sequuta sunt, vt ad confirmandam, stabiliendamque romanorum pontificum tyrannidem fuere comparata, ita noxia potius ecclesiae, quam salutaria fuisse, merito pronuntiare licet. Patet id exemplo eius, quod anno MCII congregatum fuit, atque inter lateranensia secundum est. Funestae illae concertationes, quae Henrico IV imperatori cum romanis pontificibus, speciatim Gregorio VII, in quo ambitio cum impudentia, dubia inter se certabant palma, & cui nec audacia, nec calliditas, ad iniquissima quaeuis perficienda deerat, de inuestitura episcoporum intercesserunt, quaeue illi calamitates longe acerbissimas peperere, concilio huic occasionem dederunt. * Paschalis namque II pontifex Gregorii septimi premebat vestigia, quo nec multum melior erat, idque omni conatu itidem agebat, vt ius illud, quod vocant, inuestiturae, imperatoribus nostris ere-

ptum

* Quae ex LAMBERTO Schaffnaburgensi, BERTOLDO Constantiensi, SIGEBERTO Gemblacensi, MARIANO Scoto, BRVNONE in *hisor. belli saxonici*, OT-

TONE Frisingensi, ALBERTO Stadenensi, CONRADO abbate Vrspergeni, aliisque istorum temporum historicis satis notae sunt.

- f) in *annalib. ad annum DCXLIV*
 g) in *breviario gestor. pontif. rom. tom. I. saec. VII. p. 424. add. NATALIS ALEXANDER histor. eccles. noui. test. saec. VII. cap. II. p. 541.*

ptum romanis vindicaret pontificibus. Ab hocce itaque pontifice conuocatum fuisse concilium istud, memorant, cui ipsemet imperator interesse promiserit; cum autem non compareret, sed etiam alium pontificem constituere vellet, excommunicationis rursus in eum pronunciatam fuisse sententiam. CONRADVS A LIECHTENA V, abbas Vrspergensis, quem hic praecipue sequi decet, auctor est, ipsum imperatorem hoc concilium conuocasse, aut certe conuocare voluisse; * nec tamen deinceps ad istud venisse. Quod quin ob grauissimas ab imperatore factum sit rationes, dubitare non licet; cumque ex iis, quae idem abbas Vrspergensis addit, perspiciqueat, pontificem subiectionem ab imperatore postulasse; ** vitio ei verti nequit, quod non comparuerit, & alium constituere voluerit pontificem, iniquissimaque ideo fuit ista concilii huius in imperatorem vibrata excommunicatio. Nihil aliud porro concilii huius patribus constitutum fuisse, quam impudentissimis pontificum, ad summum aliquod imperium adspirantium, iuraque imperatorum non sine insigni scelere sibi vindicantium, ausibus, robur aliquod addere, inde manifestum, quod, vt idem CONRADVS refert, *schisma istius temporis inter precipuas haereses computauerint*, hoc est, reges istos, atque imperatores, qui iura sua sibi contra pontifices adferebant, pro haereticis declarauerint; immo omnes istos anathematis fulmine percusserint, ac formula quadam fidei edita ab omnibus

B 3

obe-

* Verba eius haec sunt: *anno domini millesimo centesimo secundo imperator Henricus habito cum principibus colloquio, Romam se profecturum, ac generale concilium circa Febr. Kalend. inibi conuocaturum condixit, quatenus tam sua, quam domini apostolici causa canonice ventilata, catholica inter regnum &*

sacerdotium confirmaretur veritas, quae tot annis scissa permansit; in chronico ad ann. MCII. p. M. 241.

** Ita enim porro legitur: *constat tamen nec ipsum iuxta placitum venisse, nec nuncia dignitati apostolicae subiectionem profertentia mississe l. c. Subiectionem ergo postulabat pontifex.*

obedientiam sedi apostolicae promitti voluerint. * Quae ita comparata sunt, ut an luculentiori ratione pontifices ambitionem suam & animum imperandi cupidum demonstrauerint, valde dubitem. Vnde & quid ecclesia ab eiusmodi concilio sibi polliceri potuerit, patet.

Idem pontifex cum omnem moueret lapidem, ut, laicis, quos vocant, ab inuestitura exclusis, sibi illam vindicaret, eandem ob causam tum alia concilia, tum & lateranense tertium, atque quartum, illud anno MCV, hoc an. MCX congregata fuere, in quibus quae pontifex, ambitioni suae ipse fauens, cupiebat, decreta fuere atque constituta. Et in priori quidem omnes illi, qui Henricum Angliae regem ad retinendas inuestituras impellebant, itemque qui ab eo inuestituras acceperant, ab ecclesiae communiione remoti sunt. Interea vero Henricus, Henrici IV imperatoris filius, qui deinceps inter imperatores quintus huius nominis fuit, se induci passus est, ut eorum omnium, quae filiorum esse natura ipsa voluit, oblitus, patrem desereret, h) eo, quod habere, quam expectare regnum, mallet, eoque ut eo facilius potiretur, pontificis se submitteret voluntati, eique in omnibus obsequium polliceretur. Mortuo autem patre, rectoraque a proceribus quibusdam Germaniae edoctus, non minus facilis ad reuocandum, quae dederat, fuit, quam fuerat ad concedendum. Quod cum aegre ferret pontifex, & nihil non pro retinendis inuestituris ageret, impe-

* Formula haec ita se habet: *postolicae sedis pontifici, domino Paschali eiusque successoribus, sub testimonio Christi & ecclesiae, adfirmans, quod adfirmat, & damnans, quod damnat sancta & vniuersalis ecclesia; l. c.*

h) vid. OTTO Frisingensis *chronic. lib. VII. cap. VIII. IX.* CONRADVS abbas Vispergensis ad *ann. MCV. p. 243.* add. 10. SCHILTERVS de *libert. eccles. Germ. lib. IV. cap. IV. §. IV.*

imperator vt rebus suis consulere, anno MCX magno cum exercitu Italiam ingressus est; priusquam autem Romam perueniret, apud Sutrium inter pontificis atque imperatoris legatos conuenit, vt pontifici quidem inuestitura episcoporum relinqueretur, sed conditione hac interposita, vt Germaniae episcopi cederent omnibus bonis atque iuribus, solisque decimis atque donis contenti agerent. Quae cum vtrunque iureiurando confirmata essent, atque imperator urbem intrasset, vt a pontifice corona redimiretur, hic autem a Germaniae quibusdam episcopis, quibus bonorum restitutio displicebat, obiurgatus, promissis stare, imperatoremque coronare nollet, captiuus ab imperatore abductus est, Romanis, qui in eius gratiam imperatori se opposuerant, male mulctatis. Atque hinc tandem eo res deducta est, vt iniquis postulatis suis pontifex renuntiaret, atque imperatori inuestituram concederet. *** Quod quam parum candide fecerit, mox in concilio lateranen-

*** Quae summam commemorauimus, copiosius edisserunt OTTO Frisingensis *lib. VII. chron. cap. XIV.* GOTTFRIDVS Viterbiensis *chron. part. XVII. p. 504. seqq.* PETRVS diaconus *chron. Cassin. lib. IV. cap. XXXVIII. seqq.* SVGERIVS in *vita Ludouici grossi p. 290.* HELMOLDVS *chron. Slauor. lib. I. cap. XXIX.* CONRADVS abbas Vispergensis *ad ann. MCXI. p. 254.* quibus recentioribus addendi NATALIS ALEXANDER *histor. eccles. noui testam. saec. XI. & XII. dissert. ar. IV. cum primis artic. XI. p. 741. seqq.* & FRANCISCVS PAGO *in breuiario gestor. pontif. roman. saec. XII. p. 551. seqq.* Et ALEXAN-

DER quidem, vt sine ratione, pacta apud Sutrium inita ab imperatore violata, adserit, ita deinceps obseruat, a plurimis equidem improbatum ac damnatum priuilegium de inuestitura a Paschali II Henrico imperatori concessum; a sapientioribus tamen pontificem excusatum. At laudandus potius fuisset pontifex, si modo serio & sincere rem egisset, quod imperatori ea restituisset, quae sine iniquitate illi denegare non poterat. Idem cum porro docuisset, Guidonem archiepiscopum Viennensem eo tempore in metropoli sua concilium conuocasse, in quo priuilegium istud imperatori concessum, irritum declarauerit, & conatum

ranensi, anno MCXII conuocato, quod quintum est, patuit; in quo pontifex, vt pacta inreiuurando confirmata irrita redderet, se ipsum adculpauit, fratrumque consilio, quae fecerat, mutanda & corrigenda submisit, vt ita cum *προφάσει* quaedam, omnia, quae promiserat, reuocari possent, & ius inuestiturae denuo romanis episcopis adfereretur.*Vnde & hoc non optimae notae concilium fuisse, intelligas, ad perfidiam quippe pontificis aut excusandam, aut defendendam comparatum. Atque eiusdem generis etiam fuit concilium lateranense vi anno MCXVI congregatum, quippe in quo idem pontifex denuo professus est, se vi metuque inductum inuestiturarum priui-

istum laicorum, inuestituras episcoporum sibi vindicantium, haeresin esse pronuntiauerit; recte cum YVONE Carnotense adserit, eum haeresin non esse, adeoque *Henricianam*, quam nonnulli in ore habebant, *haeresin, fictitiam esse*, l. c. p. 748. Spectat tamen hoc ad artes, quamquam apertas satisque crassas, quibus potentiam suam ac tyrannidem augere ac stabilire romani pontifices adnuebantur.

* Acta concilii huius referunt CONRADVS abbas Vrspergensis *ad ann. MCXII. p. 255.* PETRVS diaconus *chron. Cassin. lib. IV. cap. XLV.* GOTTFRIDVS Viterbiensis *chron. part. XVII. p. 504. seqq.* aliique; adcuratius autem ex vetusto codice ea edidit STEPHANVS BALVZIVS ad PETRI de MARCA *lib. VIII. de concordia sacerdot. & imper. cap. XX. p. 1200. seqq.*

Licet autem ipse pontifex pacta iureiuurando confirmata reuocare noluerit, dum tamen concilio lateranensi hanc potestatem concessit, a periurii crimine liberari nequit. Frustra vim & metum obtendebat pontifex, cum imperator sua tantum sibi adfereret, atque pontificem ad ea reddenda cohereret, quae retinere non poterat. Ridelicium est, quod ex autore anonymo *historiae pontificum & comitum Engolismensium* narrat FRANCISCVS PAGO, patres concilii istius, ne pontifex iusiurandum violasse videretur, non imperatorem, sed priuilegium illi datum excommunicasse; in *breviar. gestor. pontif. rom. saec. XII. p. 557.* Insigne illud *magnanimae humilitatis exemplum*, quod Paschalem omnibus hic dedisse NAT. ALEXANDER existimat, *loc. cit. p. 573.* alii non temere ibi inuenient,

priuilegium Henrico concessisse, illudque *condemnavit sub perpetuo anathemate, ut nullius unquam sit bonae memoriae*, cumque rogaret omnes, ut idem facerent, *acclamatum ab vniuersis est, fiat, fiat.* i) Paschalis exemplum cum successores eius Gelafius II & Callistus II strenue sequerentur; motuum ac turbarum, quas pontifices in Germania & excitabant, & fouebant, pertaesus, tandem in comitiis Wormatiensibus, anno MCXXII omnem inuestituram, quam uocant, per anulum & baculum pontifici concessit, adeoque insigni iuris circa sacra parte, magno cum Germaniae dedecore, nec minori cum ecclesiae damno, facto interim ut prorsus iniusto, ita omni iuris efficacia destituto, sese abdicauit. * Atque sic tandem cum pontifices obtinuissent, quod tandiu in votis habuerant; quae utrimque in comitiis Wormatiensibus promissa erant, in concilio lateranensi VII eodem anno MCXXII celebrato, quod perperam pro oecumenico venditant, confirmata sunt. **

C

Quam

* Constant haec ex OTTO-
NE Frisingensi *lib. VII. chron. cap. XVI.* item *hist. Frid. I. cap. VI.*
GOTTFRIDO Viterbiensi *chron. part. XVII. p. 506. 507.* ALBERTO Stadenfi, & *annalibus Hel-desheimensibus ad ann. MCXXII.*
ROBERTO DE MONTE ad ann. *MCXXIII.* Abdicare autem imperatorem se hocce iure inuestiturae non potuisse, adeoque reuantiacionem istam irritam esse, agnouit praeter alios ADELBERTVS, cuius uerba ex *actis Satrinis codi-*

cis Vaticani recitat CAESAR BARONIVS ad ann. *MCXI. §. VII.* quod & rationibus luculentissimis euincit IOAN. SCHILTERVS de *libert. eccl. germ. lib. IV. cap. V. §. IX. p. 564. seqq.*

** Conferendi de hocce concilio FRANCISCVS PAGO in *breuiar. gest. pontif. roman. saec. XII. p. 597. seqq.* & IOAN. CABASSVTIVS in *notitia ecclesiast. historiarum, conciliorum &c. saec. XII. p. 411. seqq.*

i) ita CONRADVS abbas Urspergensis ad ann. *MCXVI. p. 249.*

Quam parum, quae huc vsque commemorauimus, concilia lateranensia ecclesiae profuerint, iam omnibus patet. Nec multum meliora a reliquis expectanda. In eo, quod sub Innocentio II pontifice anno M CXXXIX celebratum fuit, quodue octauum est, & oecumenicum secundum vocatur, ARNOLDVS Brixienfis, PETRVS DE BRVIS, aliique vt haeretici damnati, quos tamen alii inter testes veritatis rectius referunt, * licet forte multis vere recteque dictis errores quidam intermixti esse potuerint. Cum Fridericus I imperator Alexandro III pontifici, ceu publicae tranquillitatis turbatori, Octavianum, qui postea Victor IV dictus est, opposuisset, ille anno M CLXVIII aut potius LXVII concilium conuocauit, in quo nefario ausu imperatorem non modo ecclesiae communionem; sed & imperio priuare conatus est. ** Hinc in lateranensi decimo, quod anno M CLXXIX

ce-

* vid. MATTHIAS FLACIVS illyricus, in catalogo testimonum verit. p. m. 576. & 581. itemque IOAN. SCHILTERVS de libert. eccles. german. lib. IV. cap. VII. §. VIII. p. 603. seqq.

** Nonum hocce est inter lateranensia concilium, in quo Fridericus imperator exauctoratus est, & omnes, qui ei ex causa imperii & regni religione iureiurando tenebantur adstricti, a fidelitate absoluti sunt, vti legitur in epistola LXXXIX IOANNIS Sarisburiensis, WILHELMO sub-priori Cantiae scripta; in qua & porro

additur; *abstulit ei etiam regiam dignitatem, ipsumque anathemate condemnavit, & inibuit autoritate Dei, ne vires ullas a modo in bellicis congressionibus habeat, aut de christiano aliquo victoriam consequatur, aut alicubi quiete & pace gaudeat, donec fructus poenitentiae condignos operetur, hoc est, pontificis se submittat imperio. Recitat quoque haecce verba FRANCISCVS PAPI, qui & docet, non anno MCLXVIII, vt vulgo collectores conciliorum post BARONIVM censent, sed anno LXVII hocce concilium celebratum fuisse; in breuiario ge-*

celebratum, & vulgo oecumenicum tertium dicitur, idem pontifex ob victum Fridericum imperatorem velut triumphum egit, dum Germaniae episcopi, qui ab imperatoris partibus steterant, non nisi schismate (ita enim fides erga imperatorem vocabatur) eiurato, in ecclesiae communionem recipi potuerunt; *** Waldenses autem atque cathari, quos inter plurimos fuisse veritatis testes constat * ceu haeretici damnati, & anathemate percussi. Idem-
 que

C 2

flor. pontif. rom. tom. III. saec. XII. p. 87. Fastus autem atque tyrannis Alexandri III pontificis ex aliis quoque documentis satis notus est, quae summam exhibet IO. HENR. HEIDEGGERVS in *historia papatus, period. IV. §. XCIV p. 105. & 106.*

*** Quae inter pontificem huncce Alexandrum III & Fridericum I imperatorem gesta sint, & quo pacto tandem pontifex ex hocce certamine per pacem Venetiis anno MCLXXVII initam superior discesserit, aliunde constant, nec huius loci est, ut fuse ea repetantur. Formulam, qua schismatici, hoc est, qui cum Friderico imperatore fecerant, ex praescripto concilii huius in communionem ecclesiae recipiendi erant, quaeue incipit: *ego anathematizo, & recuso omnem haeresin extollentem se aduersus sanctam romanam ecclesiam catholicam &c. refe-*

runt ALBERTVS Stadenfis in *chron. ad ann. MCLXXIX.* & ALBERTVS KRANZIVS *metropol. lib. VII. cap. III.* De concilio autem hocce fuse admodum differit NATALIS ALEXANDER *hiss. eccles. noui testam. saec. XI. & XII. dissertat. IX. p. 819. seqq.*

* Waldenses inter testes veritatis refert MATTHIAS FLACIVS illyricus, in *catalogo testimonii veritatis p. m. 630. seqq.* Aliter e quidem romanenses sentiunt; cum primis autem IACOBVS BENIGNVS BOSSVETVS omnem nauauit operam, ut pessimis haereticorum eos adnumeraret, in libro, quem inscripsit: *histoire des variations des Eglises protestantes tom. II. lib. XI. pag. m. 116. seqq.* Sed nebulas, quibus iste veritatem inuoluere conatus est, dispulit IACOBVS BASNAGIVS, dans l'*histoire de l'Eglise tom. II. part. IV. lib. XXIV. p. 1386. seqq.* addatur IACOBVS

que de lateranensium vndecimo obseruandum, quod oecumenicum iv esse volunt, & anno mccc^o cum romanae sedis Innocentius iii. praeesset, conuocatum fuit. In eo namque nonnulli itidem ceu haeretici damnati, quos haereticorum numero eximendos non sine ratione censuerunt alii; certe Ioachimi abbatis inter haereticos ab hocce concilio relati orthodoxiam ipse adseruit. NATALIS ALEXANDER. k) Principes porro rerumque domini ad haereticos, seu eos, qui quacumque ratione pontificum tyrannidi se opponerent, capitali supplicio adficiendos obstricti, ** simulque talia, quae pontificibus potestatem in temporalia regum haud obscure tribuunt, sancita; *** ne quid de eodiam, quod transubstantiationis, quam vocant, commentum, plurimorum errorum, quibus romana foedata est ecclesia, fons & principium, in hocce concilio stabilitum, &

LENFANT *preservatif contre la reunion avec le siege de Rome tom. I. ep. 1. p. 7. seqq.*

** Id enim disertè *can. III.* huius concilii sancitur. Disputat hac occasione NATALIS ALEXANDER, *utrum ecclesia haereticos Albigenſes iuste tradiderit ſaeculari potestati, poenis temporalibus puniendos? item, utrum bellum aduersus Albigenſes haereticos iustum fuerit? & utrumque adfirmat l. c. differtat. III. artic. I. & II. p. 333.* Verum qui talia adserunt, non

Christi, sed antichristi spiritus, se regi, demonstrant. Alia arma nobis commendavit Paulus apostolus *II. Cor. X, 4. 5.*

*** *Canone* namque *quarto*, patres concilii istius sancunt: *si vero dominus temporalis, requisitus & monitus ab ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hac haeretica foeditate, per metropolitani & ceteros comprouinciales episcopos, excommunicationis vinculo inmoderur &c.* Hinc itaque BEL LARMINVS & PERRONIVS,

k) *hiflor. ecclef. noui testam. saec. XIII. & XIV. differtat. II. p. 331. seqq.*

& velut sollempni quadam ratione promulgatum sit.* Denique & duodecimum concilium lateranense anno MDXII sub Iulio II pontifice inchoatum, & sub Leone X anno MDXVII finitum, ad imperii papalis limites, per sanctionis pragmaticae abrogationem & concordatorum inter Leonem X pontificem & Franciscum I Galliae regem confirmationem, amplificandos aliquid conferre voluit, eodemque adeo, vt reliqua, est loco habendum.**

C 3

Ab

cardinales, alique colligunt, in hocce concilio pontifici romano potestatem, saltem indirectam, in temporalia regum atque principum supremorum, tributam. Quos dum NATALIS ALEXANDER refellit, canonem non de principibus supremis, sed de beneficiariis seu feudatariis loqui, contendit; *histor. eccl. saec. XIII. & XIV. dissertat. III. artic. III. p. 348.* Verum longe rectius hinc se expedit LVD. ELL. DV PIN de *antiqua eccl. disciplina dissertat. VII. §. IV. p. 571. seqq.* Primo enim adserit, nullum concilium eiusmodi ius, aut potestatem in bona principum habere, aut alteri conferre posse. Deinde canonem huncce, vti & reliquos, non fuisse in hocce concilio, sed a solo pontifice Innocentio conditum; quod licet NAT. ALEXANDER l. c. art. II. p. 325. vbi contra MARC. ANTON. DE DOMINIS, & LVDOVICVM SER-

VINVM, qui idem iam docuerant, disputat, admittere nolit, rationibus tamen luculentissimis probat. Mitto reliqua.

* Non tantum dogma transsubstantiationis in hocce concilio can. I. confirmatum, sed vox transsubstantiatio adhibita, quod hactenus in nullo concilio factum; conf. IO. HENR. HEIDEGGERVS in *historia papatus per. IV. §. CIII. p. 115.* vbi & alia prauorum dogmatum, quibus in eodem concilio robur additum, exempla adfert.

** Legenda, quae de hocce concilio cordate more suo monet EDMUNDVS RICHERIVS, in *historia concilior. general. lib. IV. part. II. cap. IV. §. XI. seqq.* vbi & disquirit, quo iure ROB. BELLARMINVS cardinalis *lib. II. de concilior. auctoritate cap. XVII.* ad hocce concilium prouocet, vt euincat, pontificem esse supra omnia concilia.

Ab eo, quod hodie Benedictus XIII conuocauit, quodue non ita pridem finitum accepimus, lateranensi concilio, quodue adeo decimum tertium est, non est, vt res christiana sibi egregii quid polliceatur; ecclesia romana tunc demum commodum aliquod inde perciperet si grauissimae, quas Clementis XI constitutio *unigenitus* excitauit, turbae eius decretis componi atque conspici possent. Quod cum fieri vix queat, quin auctoritas illa summa, quae pontificibus in romana ecclesia tribuitur, in periculum adducatur, aut omnino labefactetur, adeoque sperandum non sit, merito nobis gratulamur, quibus in rebus maximi momenti, nec pontificum sanctionibus, nec conciliorum decretis opus est. Scripturae sacrae enim solum sequi iuuat ductum, quae, vt in aliis, ita & in praecipuo isto doctrinae christianae capite de praedestinatione deque gratia Dei, per constitutionem istam *unigenitus* tot tenebris inuoluto, totque erroribus consperso, rectam, quam ingredi debeamus, viam ostendit. Atque id quidem copiosius edisseret, qui haecce commentandi nobis occasionem praebuit, vir maxime reuerendus, atque excellentissimus

IO. GEORG. WALCHIVS,

eloquentiae ac poëseos in hac academia ordinarius, theologiae autem extraordinarius professor praeclare meritus; qui quum summos in theologia honores capeffere decreuerit, consuetudo postulat, vt vitae eius studiorumque rationem exponamus. Dei munere in lucem vitamque communem
exiit

exiit Meinungae anno salutis christianae MDCXCIII. d. XVII Junii, prognatus patre viro summe reuerendo atque amplissimo GEORGIO WALCHIO, summo sacrorum Meinungensium antistite, titulo dignitateque superintendentis primarii siue generalis ornato, in senatu ecclesiastico adfessore, atque illustris lycei ephoro, qui aliquot abhinc annis deceffit, & matre nobilissima ERDMVTHA MARGARETHA, nata SCHMIDIA. Auus fuit TOBIAS WALCHIVS, sacrorum Lengsfeldensium inspector, & auia MARIA LINDENLAUBIA; alios vero maiores vtriusque stirpis dignitate egregios commemorare, instituti ratio haud sinit. Vbi ingenii vis adparuit, praeter studia recti ac pii moris, parentes nihil officii ac curae in erudiendo isto praetermiserunt, eumque tradiderunt praceptoribus dexterrimis IO. FRIDERICO WERNERO & PHILIPPO NAGELIO, quorum praeceptis ac fide quum rudimenta bonarum artium hausisset, nactus est optimum studiorum moderatorem, clarissimum M. IO. AVGVSTVM KREBSIVM, qui posthac in aula Meinungenfi diaconi munere functus fuit. Hic in eo perpoliendo formandoque plane singularem fidem comprobavit, solidamque ostendit viam, qua cognitionem elegantioris doctrinae & romanae & graecae consequeretur. Rite ita formatus anno MDCCX Lipsiam

sildug

pliam decessit, & a rectore magnifico AVGVSTO QVIRENO RIVINO, celeberrimo medico d. XII. febr. in tabulas academicas relatus, id egit ac meditatus est, quomodo prudenter litterarum rationes constitueret. Proinde primas curas in eo collocavit, vt ornamenta & praesidia eruditionis, quae petuntur ab humanitatis, & philosophiae doctrina, sibi compararet. Vt emendatius scribendi facultatem auget, operam dedit viro maxime reuerendo LVDOVICO CHRISTIANO CRELLIO, sacrarum litterarum licentiatu, philosophiae primae ac rationalis professori publico ac scholae Nicol. rectori, meritis egregio, cum quibus romanis litteris graecas quoque coniunxit & in hoc studiorum genere sectatus est virum summe reuerendum D. CHRISTIANVM FRIDERICVM BOERNERVM, tum humaniorum disciplinarum professorem, nunc primum theologum meritorum laude abundantem, qui ei priuatim interpretatus est veteris Graeciae auctores ac veram planamque linguae huius tractandae rationem monstravit. Inprimis de ipso meritis est vir illustris IO. BVRCARDVS MENCKENIYS, dominus Goernitii, a consiliis aulicis & historiis scribendis regis Polon. & electoris Saxoniae historiarumque professor publicus celeberrimus. Ei enim non solum diligenter adfuit, quum
publice

publice privatimque historiam litterariam & civilem doceret, & commentaretur; sed & quum in ipsius aedibus museum haberet, nactus est occasionem, ex pretiosissimo eius librorum thesauro multas litterarum opes colligendi ac sermonibus consiliisque proficiendi. In philosophiae studio & ducem elegit nobilissimum GOTTFRIEDVM POLTCARPVM MULLERVM, qui commentationibus suis elementa mea illustravit, & scholas obiit viri experientissimi ac philosophi celeberrimi ANDRAE RVDIGERI, cuius praecepta sapientiae humanae ex recitationibus ac consuetudine accurate cognouit. Nec has operas ad fundamentum studii sacri rite tractandi, cui se consecrauerat, recte ponendum sufficere intellexit. Quocirca studiose didicit linguas in oriente cultas auctore M. STARCKIO, quum viueret, doctrinae huius peritissimo, in cuius scholis cum aliis quibusdam selectioribus auditoribus, per quatuor fere annorum spatium continuata progressione fuit, nec solum illius interpretationes integri codicis sacri audiuit; sed & ex institutione eius alia philologiae diuiniioris atque eruditionis rabbinicae subsidia sibi comparauit. In hoc industriae campo quum legitima confecisset spatia, animum contulit ad sacrae doctrinae disciplinas.

D

in

in quibus conciliauit sibi virum summa doctrina refer-
tum ac maxima meritorum existimatione famaue insi-
gnem GOTTERIEDVM OLEARIVM, cuius singulas
recitationes & publicas & priuatas assidue percepit seque
instituti eius deditum ostendit. Fruebatur quoque sin-
gulari beneuolentia viri celeberrimi meritisque grauissi-
mi ADAMI RECHENBERGII, qui quamuis per sene-
ctutem publicas tantum institueret commentationes, qua-
rum & auditor fuit; venit tamen in consuetudinem
eius atque ex ipsius sermonibus multa vtilissima, quae
imprimis ad rationem controuersiarum sacrarum nostro-
rum theologorum recte cognoscendam pertinebant, ad-
secutus est. Eodem fructu vsus est, quum historiae ec-
clesiasticae causa se conferret ad scholas viri maxime re-
uerendi L. VRBANI GODOFREDI SIBERI, antiquita-
tum ecclesiasticarum professoris publici egregii clarissi-
mique, eiusque tantum conciliaret sibi fauorem, vt consue-
tudinē eius atque vsu bibliothecae, cuius apparatus prae-
cipue in hoc litterarum genere insignis est, perfrueretur.
Neque adiumenta iuris canonici neglexit, quae ex scho-
lis viri consultiissimi D. IO. FRIDERICI OLEARII hau-
sit.

Post-

Postquam lauream philosophicam anno M DCC XIII. d. IX. Febr. adeptus est, quo tempore laudatus IO. BVR-CARDVS MENCKENIVS summa honorum praemia dilargiebatur, in lucem litterariam prodire coepit. Iuuenibus discendi cupidis adiumento fuit ac sapientiae atque elegantioris doctrinae disciplinas enarravit, disputandoque de *fabulosa historia Semiramidis aduersus Ctesiam Cnidium & Diodorum Siculum*; de *amoenitatibus historicis ex peregrinatione Ciceronis collectis*; de *litteris humanioribus ac de variis modis litteras colendi apud veteres Romanos* ingenii edidit specimina. Verum nec in hoc acquiescendum esse putavit, animumque ad alia monumenta litterarum edenda contulit. Etenim non solum *Christophori Cellarii dissertationes*, quibus adiecit ipsius vitam, *orationes academicas* cum praefatione de fatiis artis oratoriae inter veteres graecos, romanos germanosque atque *epistolas selectiores*, praemissa dissertatione de dedicationibus librorum veterum edidit; sed & *Velleium Paterculum, Phaedri fabulas, Ovidii libros metamorphoseon, Claudianum* adnotationibus; *Lactantii vero opera*, quibus diatriben de vita & stilo ipsius praemisit, notis variorum il-

Iustrauit. Eiusdem industriae debemus *historiam criticam latinae linguae*; nouam editionem *Bartbolomai Beuerini syntagmatis de ponderibus & mensuris cum eiusdem commentatione de romanorum comitiis ac Iacobi Facciolati*, clarissimi viri, *orationum de grammatica & rhetorica*, nec non *diatriben de vita & stilo Cornelii Taciti ad Iacobum Perizonium*, magnum politionis doctrinae ornamentum. Praeter haec diariis litterariis conscribendis studia sua consecrauit, nec solum illustri MENCKENIO, cuius auspiciis *acta eruditorum* prodeunt, operam suam praestitit; sed eandem quoque *actis eruditorum germanicis ac nouo librorum atrio* adhibuit. Lipsia Ienam vocatus, clementissima voluntate serenissimorum Saxoniae ducum, dominorum nostrorum indulgentissimorum anno MDCCXVIII. prouinciam professoris antiquitatum & philologiae extra ordinem constituti suscepit; anno MDCCXIX. in locum beati IO. CASPARIS POSNERI successit, ipsique traditum fuit munus eloquentiae docendae, cum quo ut professio artis poeticae coniungeretur, post mortem beati IO. GEORGII MULLERI MDCCXXI. serenissimi principes clementissime voluerunt. In his

his muneribus recte administrandis nihil fidei ac curae praetermisit, & in eo collocavit cogitationes, quomodo studiosae iuuentutis commodis inseruiret, ac publice privatimque doctrinam humanitatis & philosophiae solide ac perspicue enarraret. Tempus, quod ipsi ab hisce negotiis datum fuit, in edendis libris commentationibusque consumpsit. Publice disputavit *de praemiis veterum sopherarum, rhetorum & oratorum; de entusiasmo veterum sopherarum atque oratorum; de orationibus panegyricis veterum; de interpretatione novi foederis ex historia philosophica, ac de arte aliorum animos cognoscendi.* Ut taceamus de scriptis publicis nomine academiae compositis, in quibus multa argumenta ex antiquitatum, praesertim sacrarum monumentis illustravit, in lucem protulit *introductionem in eruditionem generalem lingua teutonica scriptam; parerga academica ex historiarum atque antiquitatum monumentis collecta;* ac qui academiae nostrae maximum decus fuit, *Io. Andreae Bossi introductionem in notitiam scriptorum ecclesiasticorum, cum eiusdem opusculis historiae ecclesiasticae, nec non cogitationes de ingenio philosophico.* Qua ratione quamvis in litteris elegantiae, antiquitatum

ac philosophiae ornandis fuerit occupatus; diuinioram tamen doctrinam haud neglexit; sed ut in scholis priuatis studii sacri partes, theologiam quippe dogmaticam, moralem & polemicam tradidit; ita & desiderio iuuentutis rebus sacris deuotae satisfecit, publicaeque & huius doctrinae, quam comparauit sibi, monumenta constituit. Namque praeter *compendium theologiae dogmaticae*, ex *institutionibus* meis compositum, edidit *introductionem historico-theologicam in controuersias religionum*. At vero ampliore in hoc litterarum campo ingenii vires explicandi nactus est occasionem, postquam serenissimi academiae huius conseruatores eum muneri professoris theologiae extra ordinem gerendo superiori anno imposuerunt, cuius partes ut rite impleret, omni opera adhuc admissus est. Auspicii felicitatis causa recitauit orationem de *incrementis*, quae *studium theologicum nostra aetate cepit*, quam & publici iuris fecit eique praemisit commentationem, qua *isagogen Pauli ad studium theologicum ex ipsius epistolis* monstrauit. Paulo post accessit ad recitationes pro munere huius ratione publice instituendas, quas quum libris sym-

bo.

bolicis ecclesiae nostrae euangelicae explicandis illustran-
disque destinarer, indixit istas in commentatione de *solida
librorum symbolicorum interpretatione ex historia instituenda.*
Sed ut hac sacra prouincia pro more in academiis recepto
rectius fungatur, nomine dignitateque DOCTORIS
THEOLOGI ornandus est. Ne autem quidquam negligere
videretur, quod aut legibus, aut consuetudini con-
sentaneum est, & commentando & disputando demon-
strare voluit, se hisce summis honoribus esse dignum.
In recitationibus solemnibus, quas instituet die ix. Iulii hora
X. ante & III. post meridiem exponet grauissimam doctri-
nam de *gratia vniuersali aduersus reformatae ecclesiae docto-
res*, cuius historia proposita, veritatem illius & confirmabit &
vindicanbit imprimis in *Roman. IX, 13.* ita ut simul ostendat,
quomodo alterum extremum ad Pelagianismum ducens sit
deuitandum. Neque non praeclarum disputationis, quam
sub praesidio meo defendet ac partes suas tuebitur, ar-
gumentum elegit, quum *res ab apostolo Paulo Philippis
gestas* ex *actor. cap. XVI.* illustrare constituit. Hisce vt
prorector academiae magnificus, vt & magnificus prore-
ctor


ctor designatus, illustrissimus comes, proceres omnium
ordinum excellentissimi, omnes theologiae fautores iuue-
nesque nostri florentissimi beneuolas aures praebent,
ea, qua decet ratione, rogo. P. P. die VIII. Iulii


M D C C X X V.

(L. S.)

✻ (o) ✻







ctor designatu
ordinum exce
nesque nostri
ea, qua
DOCTORIS
dnam neglig
secretum con
ando demon
esse dignum
ax. Iohi hors
fiamm doctri
recepta h
comparatib
mul ostendat
m ducens h
ationis, dum
uectur, ar
allo p
ur. Hic ve
gribus proce
dor

imus comes, proceres omnium
omnes theologiae fautores iuue
i beneuolas aures praebeant,
, rogo. P. P. die vii. Iulii
CCXXV.
regius hungar
theolog ormandus est. Ne
re videtur, quod an legibus
tentatum est, & c
stare voluit se hinc summis
In recitationibus solemnibus, par
X ante & III post meridiem ex
tam de
ver. eius infortis propo
vindicat inprimis in Romae
dromedo alterum extremum ad
centurandum. Neque non praec
sub praedidio meo defendet ac
fundatum elegit, dum ver
egit ex vlt. cap. XVI. illu
profector academiac magnificus

. S.)
()

Image Engineering Scan Reference Chart ITES3 Serial No. 093

mm 0 10 20 30 40 50 60 70 80 90 100 110 120 130 140 150 160 170 180 190 200

C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11

4.5 3.0 1.5

UB Rostock 05/1500

C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9

the scale towards document